

SECTIO III.

DE MIRACULIS CHRISTI IN S. EVANGELIO RECENSITIS

Est hoc argumenti genus altiori indagine dignum; quia increduli nostrae aetatis, *Voltaire* (1), aliique cum *Spinozistis*, naturalistis, ceterisque huius furfuris philosophastris quaevis miracula, aut certe eorum pleraque ceu inania, ridicula, aut omnino impossibilia explodere solent. Horum itaque incredulorum inscitiam ac impudentiam demonstraturi, agemus primo de miraculis in genere; dein de miraculis Christi in specie, ac primo quidem de his universe spectatis, dein vero de eorum praecipuis particulatim consideratis.

CAPUT I.

De miraculis in genere.

33. QUÆRES I. *Quid sit miraculum?* R. Ex variis, quae a theologis et philosophis traduntur, definitionibus miraculi optimam censeo hanc: *Miraculum stricte tale est effectus supernaturalis, insolitus.* Adhuc alii vocem *sensibilis*. Dum enim *miraculum* vocamus, rem quasi admiratione plenam designare volumus, quae sensibus nostris patet, et omnibus sit manifesta, quaeque Deus tanquam signo quodam extraordinario nobis suam voluntatem et gloriam manifestare vult. Itaque, si hoc sensu accipias *miraculum*, id definiendum erit, quod sit *effectus supernaturalis, insolitus et sensibilis*. Dicitur I. *Effectus supernaturalis*, id est, cuius ratio suf-

(1) In suo Diction. philos. art. *Miracles*.

(2) Veteres alii verbis dixere: « Effectus supernaturalis est, qui vires et

ficiens existentiæ non est in natura creata (2). II. *Insolitus*, qua voce hic non significatur rarum quid aut infrequens, sed aliquid, quod fit contra aut praeter solitum seu communem naturae vel gratiae cursum et ordinem. Nam etiamsi quis quotidie ex. gr. mortuos resuscitaret, tamen miraculum esset, quia id praeter communem naturae cursum contingeret, ut s. *Thomas* (3) bene observat. III. *Sensibilis* ob rationem paullo ante allatam. Ex hac definitione sequuntur haec corollaria.

34. COROLLARIUM I. Quidquid angeli seu boni seu mali viribus suis naturalibus praeter aut contra ordinem, et leges naturae communes faciunt, non est miraculum *stricte et proprie* tale; quia id non superat vires totius naturae creatae, nempe angelicae; nihilominus multi id, quod angeli ex speciali iussione Dei praeter aut contra communem ordinem naturae faciunt, vocant *miraculum*, scilicet *in sensu latiore* acceptum. Hi proin si miraculum tam stricte, quam late tale una definitione complecti velint, dicere debent: *Miraculum est effectus insolitus immediate a Deo, vel a creatura ex speciali iussu ac voluntate Dei productus.*

COROLLARIUM II. Complura in ss. literis et sanctorum actis miracula recensentur, quae angelorum viribus naturalibus (quarum limites quidem nobis incognitae sunt) evenire potuerunt; et tamen pro veris

exigentiam totius naturae creatae superat.

(5) In 2 dist. 18, q. 1, art. 3 ad secundum.

miraculis, nempe in sensu latiore acceptis habentur, ut mutatio aquae in vinum, sol consistens ad imperium Iosue etc. Ratio est; Deus angelicam inter et humanam naturam ordinem quemdam constituit; vi cuius certa beneficia per angelos hominibus exhiberi pro sua benignitate voluit; ita tamen, ut viribus suis praeter aut contra ordinem naturae consuetum nunquam utantur nisi ad eiusmodi extraordinarium effectum praestandum speciatim mittantur a Deo, a cuius nutu semper plenissime pendent. Unde licet in rigore metaphysico huiusmodi operationes angelicae miracula stricte dicta et effectus supernaturales non sint, quia vires naturae angelicae non superant: dici tamen possunt miracula in sensu quodam latiore, ac recte admittuntur pro legitimis probationibus sanctitatis, et immiscens se Numinis, praesertim ubi de hominis, cuius intercessione ea patrantur, virtutibus per processum praevium beatificationis aut canonizationis iam aliunde satis constat.

COROLLARIUM III. Creatio animae rationalis, quamvis vires totius naturae creatae transcendat, non tamen est miraculum, quia non est effectus *insolitus*; sed fit a Deo iuxta communem naturae legem, foetu humano in utero materno rite disposito.

COROLLARIUM IV. Quamvis omne miraculum (si stricte tale sit) effectus supernaturalis, seu superans vires et exigentiam totius naturae creatae esse debeat; non tamen vicissim omnis effectus supernaturalis est miraculum. Nam iustificatio impii, aliaque supernaturales operationes, quae a Deo in nobis fiunt iuxta stabilem quandam legem supernaturali fini nostro accommoda-

(1) Vide sequenti num. 35, divisionem miraculi in *stricte et late* tale.

tam, item connectio eucharistiae, aliorumque sacramentorum non recensentur inter miracula, quia non sunt effectus *insolitus*, sed fiunt iuxta communem *gratiae* ordinem, in hac providentia a Deo statutum. Si tamen iustificatio impii fiat subito et repente, Deo tam vehementer animam movente, ut statim quandam iustitiae perfectionem assequatur (prout factum est in conversione d. Pauli), talis mutatio iuxta d. *Thomam* (1) est, et recte dici potest *miraculum gratiae*. Sicut enim instantanea sanatio gravis morbi miraculosa est, quia praeter communem naturae ordinem est; ita repentina illa conversio censetur miraculosa, quia praeter communem *gratiae* ordinem fit.

COROLLARIUM V. Mala est miraculi definitio, quam *Spinoza* statuit, qui *miraculum* vocat naturae opus, cuius causam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus. Similiter alii inepte philosophantur, qui quodvis mirabile cum miraculis miscent, quasi monstra quoque in numero miraculorum essent. Genuinus enim character, quo miraculum ab aliis naturae operibus discernitur, in eo consistit, ut effectus aliquis universae naturae creatae vires ac leges communes excedat, aut saltem, ut ex speciali Dei iussu et voluntate fiat contra vel praeter consuetum ordinem naturae et gratiae.

35. QUÆRES II. *Quotuplicis generis miracula sint?* R. Miraculum varie dividitur, et primo quidem in stricte et late tale, uti praecedente numero 34, Corollar. I, iam indicavimus. Nimirum *Miraculum stricte tale* est effectus insolitus (2) excedens vires totius naturae creatae, ex. gr. resuscitatio mortui; prout

(2) Vox *insolitus* hic sumenda est in sensu n. 53 explicato.

infra (1) amplius declarabitur. *Miraculum late tale* est effectus insolitus, qui quidem excedit vires naturae corporeae et visibilis, non item spirituum creatorum, produci- que ab his potest, tanquam ministris Dei, ad huius iussionem imperiumque: ut cum angelus Domini descendit in fornacem babilonicam, et excussit flammam ignis, vel cum prophetam *Habacuc* transtulit Babilonem supra lacum, in quo erat *Daniel*, vel cum in castris *Sennacherib* interfecit centum octoginta quinque millia hominum. Haec quidem et similia vires naturales angelorum haud excedere videntur, et tamen in miraculis numerantur; quia extraordinariae hae operationes ab angelis non fiebant, nisi *ex speciali Dei iussu*, et quidem praeter communes leges et ordinem a divina providentia angelos inter et homines constitutum (2): unde etiam hi effectus Deo tanquam causae principali, angelis vero solum tanquam administratoriis spiritibus tribuuntur (3). Ceterum, quod nos vocamus *Miraculum stricte tale*, alio nomine appellatur *Miraculum primae classis*: et quod vocavimus *Miraculum late tale*, dicitur *Miraculum secundae classis*; prout cl. *Aloysius Merz* in concione polemica de *Miraculis* an. 1779, in festo s. *Hilariae* habita pag. 12 recte observat. Bene tamen notandum, hanc divisionem in miracula primae et secundae classis solummodo respectu virium creaturarum, quas alia miracula transcendunt, locum habere, non autem respectu Dei, cui miraculum alterum prae altero haud difficilius est; cum Deo nihil difficile sit, iuxta illud Genes. 18, v. 14: *Numquid Deo quidquam est difficile?*

(1) Num. 95.

(2) Vide cl. *Berthold. Hauser*, philos. tom. 2, § 545, ubi hae de re valde eru-

Et Ierem. 32, v. 17: *Non erit tibi (Deo) difficile omne verbum*. Et v. 27: *Ecce ego Dominus Deus universae carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum?* SECUNDO. Miraculum dividitur in miraculum quoad substantiam, et miraculum quoad modum dumtaxat. *Miraculum quoad substantiam* est, quod omnium creaturarum naturales vires exsuperat, uti resuscitatio mortui ad vitam. *Miraculum quoad modum* dicuntur ii effectus, qui in his quidem rerum adiunctis, in quibus producuntur, exsuperant totius naturae vires, aut certe sunt contra aut praeter communem naturae ordinem, non tamen in omnibus univarse circumstantiis. Talis est, ex. gr. momentanea leprae sanatio, quae tamen longiori tempore arte etiam humana obtineri posset. Neque audiendus hic est *Rousseau* (4) dicens, instantaneam hominis sanationem tam parum transcendere vires naturales, quam parum mortem instantaneam. Sed turpiter errat. Quotidie enim videmus homines instantanee mori, et medici ac chirurgi facile nobis ostendunt causas repentini eiusmodi facti. Vicissim videmus quotidie morbos non aliter quam successive, et gradatim sanari. Certe humores penitus corrupti, aut organa destructa in momento nequeunt naturaliter aut iuxta communem naturae ordinem renovari et in integrum restitui.

TERTIO miracula denique dividuntur in ea, quae supra, praeter, aut contra naturam sunt. *Miraculum supra naturam* est, quod semper et in quibuscumque circumstantiis excedit naturales vires totius naturae creatae, ut resuscitatio mortui. *Miraculum praeter naturam* dicitur ef-

ficit et docte dissicit.

(3) Ibidem.

(4) In *Lettres de la Montagne*, p. 101.

fectus, quem quidem natura creata producere posset, sed non eo modo, quo hic et nunc t. t. ex. gr. subito, sine adhibitis mediis etc. Talis est instantanea curatio morbi sine adhibita medicina. *Miraculum contra naturam* est, cum in natura datur dispositio contraria effectibus miraculosis, qui ponuntur, ex. gr. dum orante *Isaia* (1) umbra solis decem lineas in horologio *Achaz* retrogrado cursu repeliit, ut rex *Ezechias* infirmus de futura intra triduum valetudine certior redderetur.

36. SCHOLION I. Qui plura de definitione miraculorum, et de aliis rebus ad miracula pertinentibus rescire cupit, legat celeberrimum opus *Benedicti XIV*, de servorum Dei beatificatione et canonizatione, vel saltem synopsis huius operis ab *Emmanuele de Azevedo* factam (2), et miram ibi vastamque eruditionem inveniet. Ceterum de miraculis etiam perquam erudite scripserunt clarissimi viri, *Udalricus Reiss* (3), et *Andreas Spagnius, Florent.* (4).

SCHOLION II. Quamvis Deus in patrandis miraculis etiam daemonum opera uti possit, quemadmodum accidit, cum homines sceleratos extra ordinem insigniter punit per daemones divinae iustitiae ministros; non tamen propterea ab angelis malis miracula fieri existimandum est. Nam, ut *Benedictus XIV* in laudato suo opere recte observat, aliud est, Deum aliquando uti opera daemonis in patrandis miraculis, aliud, daemone facere miracula; cum iuxta communem loquendi modum ille dicatur facere miraculum, qui opus extraordinarium supra, contra, aut praeter communes naturae leges et

(1) IV. Reg. cap. 20.

(2) In synopsis libri quarti, part. 4, p. 545-551. Edit. Rom. an. 1757, typis *Generosi Salomonii*.

(3) In opere, cui titulus: *Synopsis do-*

ordinem efficit pro confirmanda veritate, quam praedicat, aut ille, ad cuius intercessionem Deus aliquod miraculum facit, ut eius sanctitatem manifestet. Praeterea vera miracula semper respiciunt divinam laudem et gloriam. Et hinc ea dici poterunt a bonis angelis fieri, si Deus opera eorum utatur, cum ipsi laudem et gloriam Dei semper intendunt: non tamen a malis angelis, etiamsi Deus his pariter non semel utatur: angeli quippe mali sive daemones sunt divinae iustitiae ministri reluctantes, et in malo obstinati, qui gloriae Dei inviti serviunt, eamque nec exoptant, nec quaerunt. Vide *Benedicti XIV* citatum opus de beatif. et canon. L. 4, P. I, cap. 3, num. 13.

37. QUARES III. *An possibile sit miraculum stricte tale?* R. Affirmative contra *Spinozam*, *Voltairium*, et alios incredulos. Ratio assertionis nostrae est, quia miraculum stricte tale est effectus totius naturae creatae vires excedens, et praeter aut contra communes naturae leges positus (5), atqui talis effectus possibilis est. Vel enim COMMUNES HAE LEGES A LIBERA CONDITORIS VOLUNTATE PENDENT? Et tunc, sicut Deus sola voluntate sua has leges primitus determinavit, ita peculiaribus quibusdam circumstantiis exceptionem aliquam ab his legibus ab aeterno ex altissimis rationibus statuere potuit. VEL ILLAE LEGES CENSENTUR, EX IPSA MUNDANORUM ESSENTIA PROFLUERE? At hoc etiam transmissio plus non sequitur, quam quod natura mundanorum entium talis sit, ut secundum has leges necessario contingant effectuum consecutiones, nisi mundana entia

ctrinae christianae de veris falsisque miraculis. Edit. August. an. 1780.

(4) In opere de miraculis, edit. rom. an. 1785.

(5) Vide supra n. 55-56.

in operando a maiore quadam, aut influita virtute impediuntur. Sic posito, quod gravitas seu vis tendendi ad centrum terrae lapidi sit intrinseca, et ex ipsa eius essentia permanet: quis tamen ausit negare, Deum vel etiam angelum iussu Dei posse illum contra naturalem suum nisum a motu deorsum ad centrum terrae retinere, aut celerrime in lunam transferre? Certe vires, unde effectus pendent, etsi sint essentialis, tamen in ente mundano semper sunt limitatae et finitae: ergo a vi maiore, praesertim a divina et infinita impediri et superari possunt. Praeterea fatentibus ipsis adversariis effectus naturales nullam involvunt repugnantiam, sed possibiles sunt: ergo neque eam involvunt effectus miraculosi. Aut num Deo difficilius est, quinque panes in quinque millia virorum multiplicare, quam semina plantarum, totamque rerum mundanarum universitatem e nihilo creare? Et sic de aliis miraculis loquendo.

ARGUMENTA CONTRARIA
INCRUDULORUM

38. Opponunt I. Miracula Dei imprudentiam, impotentiam, et mutabilitatem arguunt: ergo impossibilia sunt. PROB. ANT. Nulla est ratio sufficiens, cur Deus miraculum patret; quasi vero per viam ordinis naturalis finem suum assequi non posset, ac ita tenderet: « Nequeo per totius naturae leges, per aeterna mea decreta et consilia finem meum obtinere; mutabo igitur mea consilia, et contra aeternas meas leges aliquid efficiam ad obtinendum id, quod per illas obtinere non possum. » Atqui hic modus tendendi

(1) Dict. philos. *Miracles*. Christian. dévoilé, cap. 6, p. 69 et 75. Philos. de

est Deo indignus, et in eo argueret imprudentiam, infirmitatem, ac mutabilitatem, adeoque hoc ipso impossibile est. Ita complures increduli (1). R. Neg. ant. ad prob. nego Maiorem. Nam ratio sufficiens Deo patranda miracula est, ut eo manifestius ostendat suam de re quapiam voluntatem, aut ut confirmet veritates a se revelatas, eas maxime, quae omnem humanam rationem superant, et ad quas amplectendas vis miraculorum potentissime movere potest. Ceterum omnia consilia seu decreta Dei sunt infinita sapientia et potentia facta, et praedita, nec eius voluntati, siquidem absolute aliquid statuat, ulla creatura resistere potest. Falsissimum quoque est, quod Deus, quando aliquid contra aut praeter communes naturae leges efficit, seu miraculum patrat, aeternas suas leges mutet. Non mutatur Deus, aut eius decreta, quia iam inde ab aeterno eadem simplicissima et immutabili voluntate, qua leges naturae generatim observari voluit, simul certis temporibus contra illas leges agere decrevit; quemadmodum, si princeps eodem tempore, quo legem aliquam statuit, simul exceptionem addat, et in certis circumstantiis eam non obligare declarat. Quam parum igitur talis princeps ob hunc decernendi modum inconstantiae vel mutationis alicuius argui potest; tam parum, imo multo minus Deus notam inconstantiae, mutationis aut alicuius alterius imperfectionis contrahit, ab aeterno decernendo, et in tempore efficiendo quidquam contra generalem naturae ordinem; cum praesertim sapientissimos fines in miraculis aequae ac solito naturae cursu decernendis habeat. Eleganter

l'hist. c. 55, 2. Lettre à Eugénie, p. 45. Le bon sens, § 129, etc. etc.

hanc in rem s. Thomas (1) de miraculis loquens, ait: « Dicendum quod Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate: nam Deus ab aeterno praevideat, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praecordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus erat. » Id ipsum etiam alibi (2) doctor angelicus docet.

39. OPPON. II. s. Augustinus (3) de miraculis loquens, ait: « Deus creator et conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo omnis modus, numerus et ordo naturae est... Sed contra naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura: » ergo nunquam fit, nec fieri potest miraculum proprie tale, seu effectus supra aut contra leges naturae, sed id dumtaxat miraculum dicitur, quod quidem fit iuxta leges naturae, sed nobis incognitas; seu, ut Augustinus loquitur, quod fit contra id, quod novimus in natura. R. Conc. ant. neg. cons. Nam s. Augustinus, dum ait: Deum nihil contra naturam facere, non vult, non fieri, nec posse fieri miracula proprie talia, id est, effectus communibus naturae legibus non conformes, sed solum vult, voluntatem Dei, qua miracula decernit et efficit, non esse contrariam voluntati Dei, qua communes naturae leges decrevit: quia dum has ab aeterno statuit, simul ab iisdem exceptionem pro certis circumstantiis facere decrevit: ex-

(1) Vide operum s. Thomae tom. 8, complectentem quaestiones quodlibetales, q. 6 De miraculis, art. 4 ad sextum.

(2) Part. 4 Summae theol. q. 105, a. 6, ad tertium.

ceptio autem a communi lege facta ab ipso Legislatore, utique huius voluntati contraria non est. Unde idem s. doctor alibi (4) ait: « Quomodo est contra naturam, quod fit Dei voluntate, cum voluntas tanti conditoris conditae rei cuiusque natura sit? »

40. COROLLARIUM I. Data nostra responsio et explicatio s. Augustini omnino conformis est doctrinae s. Thomae, qui citans pro se obiectum, de quo agimus, locum s. Augustini, ita inquit (5): « Si ordo rerum consideretur, prout dependet a prima causa, sic contra ordinem rerum Deus facere non potest: si enim sic faceret, faceret contra suam praescientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si vero consideretur rerum ordo, prout dependet a qualibet secundarum causarum, sic Deus potest facere praeter ordinem rerum: quia ordini causarum secundarum ipse non est subiectus, sed talis ordo ei subiicitur, quasi ab eo procedens. - Unde et poterit praeter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit, puta, agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secundae se non extendunt. » Unde et Augustinus 26 contra Faustum cap. 3 ait: « Quod Deus contra solitum cursum naturae facit, sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit. » Hucusque doctor angelicus.

41. COROLL. II. Quando s. Augustinus loc. cit. de miraculis loquens, ait: Deum contra naturam facere (seu miraculum patrare), quando facit contra id, quod novi-

(5) L. 26 contra Faustum, c. 5.

(4) L. 21 de civ. Dei, c. 8.

(5) Part. 4 Summae theol. q. 105, a. 6 in O.

mus in natura, verissime id dicit: nam, cum miracula sint contra seu praeter communem ordinem et leges naturae, hoc ipso, dum miraculum Deus facit, facit aliquid contra vel praeter id, quod novimus in natura. Nequaquam autem verba *Augustini* intelligenda sunt in sensu, quem adversarii fingunt, nempe effectus miraculosos esse quidem contra leges naturae nobis cognitae, non tamen contra aut praeter totum ordinem, legesque naturae communes etiam nobis incognitas. Mens enim s. Doctoris dicentis, *Deum nihil contra naturam facere, sed tantum contrariid, quod novimus in natura*, dumtaxat haec est, quod nihil faciat contrarium suae voluntati, licet possit facere aliquid contra aut praeter ordinem rerum communem a se statutum, uti supra (1) explicavimus, et auctoritate s. *Thomae* confirmavimus. Et eodem sensu s. *Augustinus* etiam alibi (2) de miraculis aquae in nuptiis Canae Galilaeae in vinum, et virgae *Aaronis* prodigiose in colubrum conversae loquens, ait: *Nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturae cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit*. Ceterum s. *Augustinus* etiam L. I retract. c. 13, et L. XXII de civ. Dei c. 8, existentiam, ac proin etiam possibilitatem miraculorum asserit.

42. COROLL. III. Merito cl. *Bergier* (3) reprehendit incredulos, quod valde improprie loquantur, dum aiunt, per miracula leges communes naturae violari, turbari, mutari, everti. Per miraculum enim solum fit exceptio eventus cuiusdam par-

(1) Num. 59 et 40.

(2) L. 6 de Genesi ad litteram, c. 15.

(3) Traité historique et dogmatique de la vraie religion, part. 5, c. 4, art. 1.

(4) Vide supra n. 58-41.

ticularis a communibus legibus naturae, salvo cursu naturae et communi rerum ordine in aliis mundi partibus (4). Sic quando Deus aquas maris rubri prodigiose dividebat ad transitum israelitis aperiendum, easque quasi murum a dextera illorum et laeva stare iubebat (5), aquae in omnibus aliis orbis terrarum partibus suam fluiditatem non amittebant. Falsum itaque est, quod Deus hoc miraculo ordinem communem rerum legesque naturae turbavit, aut mutavit vel everterit. Omnes hi modi loquendi, quibus increduli utuntur, sunt damnabiles verborum abusus.

43. DICES: Leges naturae morales absolute necessariae sunt, nullamque exceptionem patiuntur, ex gr. lex non blasphemandi, lex Deum amandi etc.: ergo etiam leges physicae tales sunt, adeoque nullus praeter aut contra has leges effectus, seu nullum miraculum produci potest. R. conc. ant. neg. cons. et paritatem. Disparitas inter leges naturae morales et physicas est; tum quia vires rerum creaturarum physicae semper limitatae sunt, et vi maiore, praesertim infinita seu divina superari possunt; tum quia ordo ac cursus rerum physicarum ex ipsis divinis perfectionibus non necessario profluit, quemadmodum tamen in perfectione divina leges naturae morales fundari theologia demonstrat. Unde inepte *Spinosa* leges naturae physicas Dei decreta vocat ex eius perfectione emanantia; cum inter Dei perfectionem, et leges determinatas motus nulla necessaria connectio concipi, vel exhiberi possit (6).

44. SCHOLION. Quamvis complu-

(5) Exod. c. 14, v. 21 et 22.

(6) Vide cl. *Jacob. Zallinger* philosophiae tom. 4, l. 2, sect. 2, cap. 6, § 48, p. 226.

res aut plerique increduli possibilitatem et existentiam miraculorum proprie et stricte talium impugnent: unus tamen ex eorum primipilis, nimirum *Jacob Rousseau* possibilitatem miraculi aperte fatetur, et contrarium sentientes impietatis et amentiae arguere non dubitat. Nam postquam (1) quaestionem proposuit his verbis: *Potestne Deus miracula patrare, hoc est, leges, quas fecit, moderari?* Respondet et ait: *Hanc quaestionem serio discutere velle esse impium vel absurdum. Qui enim id negaret, in morirotrophium includendus esset*. Nihilominus, etsi idem famosus genevensis philosophus possibilitatem miraculorum recte defendat; tamen, ut mox videbimus, in eo turpiter errat, quod contendat, nunquam nos esse certos de existentia alicuius miraculi determinate sumpli.

45. QUAERES IV. *An unquam satis certi esse possimus, aliquid miraculum determinate suntum dari aut datum fuisse?* R. Affirmative. Nam nulla est ratio de hoc prudenter dubitandi. Opponunt quidem *Jacob Rousseau* (2) aliique increduli, et aiunt nos non habere omnes naturae vires et leges perspectas, adeoque nunquam esse certos, utrum aliquis effectus sit supra, contra, vel praeter omnes naturae leges tam nobis cognitae, quam incognitae. Sed R. et dico: Etsi omnes particulares leges et vires naturae nobis cognitae non sint; tamen scimus, omnes rerum creaturarum vires esse finitas, quae potentia infinita facile superentur. Dein ex constanti et uniformi experientia, vel ex ipsa ratione naturali scimus saltem aliquas naturae leges, ex gr. quod ignis rite applicatus corpori combustibili urat,

quod vere mortuo vita mediis naturalibus reddi non possit etc. etc. Quodsi igitur contrarium fiat, vel quod fieri debebat non fiat, recte concludimus effectum esse contra vel praeter naturae leges ac vires.

NEQUE DICAS: Fortassis dantur alicuae leges nobis incognitae, quibus iste effectus conformis est, licet legibus nobis notis non concordet; ne, inquam, hoc dicas; nam assertum hoc pro arbitrio fingitur, et pertinaciam, non veritatis studium indicat. Sic enim duplicis generis leges naturae invicem pugnantes, notae et incognitae, duoque in natura oppositi ordines asseruntur, quod absurdissimum est, omnemque ordinem tollit. Praeterea, quantumcumque nostra de legibus et viribus naturae cognitio limitata sit; tamen pro certo scimus, neminem pauculis verbis ex gr. *Lazare, veni foras* (3), aut solo voluntatis actu, vel solo tactu mortuos ad vitam suscitare, maris aquas dividere etc. naturaliter posse, nullamque esse legem naturae, quae aliquem ad hos effectus producendos capacem reddat. Certe omnino gratis, et sine omni sufficiente ratione talis lex naturae fingeretur. Accedit quod eiusmodi occulta, et vulgo incognita lex, quae pro arbitrio hominis et ad solum voluntatis humanae actum prompta esset operari, hoc ipso non esset lex naturae, sed potius exceptio a reliquis communibus naturae legibus, et praemeditata harum interruptio; uti cl. *Bergier* (4) scite observat.

DICES: Quodvis opus, quod dicitur miraculosum, est effectus finitus: ergo vires finitae seu creatae nunquam excedit. R. Est quidem effectus finitus in se et ex obiecto;

(1) In Lettres de la montagne, p. 94.

(2) Emile, tom. 5, pag. 152, 5 lettre, pag. 89, et 100.

(3) Ioan. c. 11, v. 45.

(4) Loc. cit. § 15.

illius tamen productio superat totius naturae creatae vires, saltem si sit miraculum stricte tale (1); sicut a pari mundus, licet effectus finitus sit, tamen eius creatio omnes vires naturae creatae transcendit.

46. INSTAT *Rousseau*, et ex alio etiam capite, nempe ex falsibilitate testimonii humani certitudinem miraculorum impugnat (2) his verbis: « Ubi sunt miracula? Sunt scripta in libris. Quis hos libros scripsit? homines. Quis haec miracula vidit? homines, qui id testantur. Sed quid continuo testimonia hominum oggeruntur, qui mihi narrant, quod ab aliis narrari audiverunt? » Et inferius (3) quaerit et ita ait: « Aequumne est, totum humanum genus obligare, ut credat Moysi aliqua mira operanti, quae tantum in conspectu exigui ignobilis hebraeorum populi facta sunt, et de quibus totum reliquum humanum genus nihil scit, nisi quod de iis narrari audit? Ita theista ille genevensis. Verum *q.* et dico, ad has gerras refutandas alio opus non esse, quam considerare rationem et modum, quo Deus usus est in religione sua propaganda, eumque comparare cum modo, quo reges terreni utuntur in legibus suis promulgandis et introducendis. Isti profecto non immediate per se ipsos singulis subditis leges promulgant, sed per officiales suos et quando lex semel promulgata est, pergit obligare subditos, horumque nepotes et abnepotes, donec revocetur, etsi non iterato de novo, multo minus singulis illorum promulgetur, sed iisdem tantum per continuam traditionem innotescat. Ita se gerunt

(1) Vide supra, num. 55, 54 et 53.

(2) *Emile*, tom. 5, p. 76.

(3) *Ibid.* p. 78.

(4) Vide s. Scripturae contra incredulos propugnatae, V. T., part. 1, sect. 1,

reges terrae, et rex regum non possit simili modo naturae humanae tam accommodato uti, quando religionem suam promulgat et miraculis confirmat? Quis es tu, miser philosophe! ut modum Deo praescribas, quo sua ipsum tibi ostendere magnalia et intimare iussa oporteat?

Dein posito, quod Deus totum genus humanum congregasset ad videnda miracula, quae in conspectu hebraeorum aut primorum Christi discipulorum olim operatus est, num ideo nos aliunde, quam ex solo auditu et historicorum testimonio illa cognosceremus? Aut fortassis *Rousseau* censuit, Deum debere continuo eadem miracula coram singulis hominibus repetere, quae olim ad introducendam religionem operatus est? At hoc petere est insanire, et negare robur et fidem omnibus traditionibus et testimoniis historicorum. Deus non operatur miracula sine necessitate, aut singulari ac eximia utilitate. Postquam semel fundata et propagata est religio, miracula ad eius conservationem non amplius sunt necessaria. Miracula autem *Moysis* et *Iesu Christi* ab initio legis mosaicae vel christianae facta nobis sufficienter innotescunt per continuam legitimam traditionem, ut partim alibi (4) iam ostendimus, partim infra (5) ostendimus.

47. SCHOLION. Sapienter et acute observat *cl. Bergier* (6), famosum theistam *Jacob Rousseau* sibi met ipsi contradicere, dum ex una parte miraculum definit mutationem sensibilem in ordine naturae, tanquam actualem et visibilem exceptionem a

c. 2, q. 5 et 6, p. 26-31. Item eiusdem operis N. T., part. 1, sect. 2, q. 1, 2, 3, et 4.

(5) Vide n. 51 et 64.

(6) *Loc. cit.*

legibus naturae communibus; simulque possibilitatem miraculi defendit, aitque, ex eo Dominum naturae non posse non agnosci et suspici (1); ex altera vero parte asserit miraculum nunquam a naturali effectu omnino certe discerni posse, adeoque esse *sensibilem* et *visibilem* exceptionem a communibus naturae legibus, et simul non esse talem.

48. QUÆRES V. *An et quomodo vera miracula a falsis discerni possint?* *q.* Dantur criteria, seu certa indicia et notae, ex quibus vera miracula a falsis cum sufficiente certitudine discerni possunt, atque de his criteriis fuse, distincte et solide disserunt *Benedictus XIV* (2), *Statlerus* (3), aliique. Praecipua nimirum indicia veri miraculi sunt: I. MUTURNITAS EFFECTUS. Quae enim fidei aut phantastice fiunt, cito evanescent: opera autem Dei per se loquendo solent esse durabilia, nisi ratio ulterioris existentiae cesset. Sic aegri, quos Christus sanavit; mortui, quos resuscitavit; caeci, quos illuminavit, vitam et sanitatem diutius retinebant. II. INVOCATIO DIVINI NUMINIS; nam creatura, antequam miraculum patret, debet per invocationem Dei, et confessionem insufficientiae et infirmitatis propriae extraordinarium divinum auxilium, quod expectat, promereri. Sic *Elias* () invocavit Dominum suscitaturus ad vitam filium viduae saphitanae; sic *Petrus* (Actor. 3, v. 6) in nomine Iesu Christi iubet claudum ex utero matris suae surgere et ambulare. III. SANCTITAS AUT PROBITAS PATRANTIS PRODIGIUM. Ordinarie enim Deus non nisi per homines sanctos miracula patrat. IV. HONESTAS ET VERITAS DOCTRINAE,

in cuius confirmationem miraculum fit. Hinc diabolica, vel a sacrificulis conficta erant prodigia, vel oracula, quae pro asserenda divinitate falsorum deorum allegabantur. V. HONESTUS ET SANCTUS FINIS patranti miraculum. Hinc attendendum, utrum operans prodigiosum opus ponat ad quaerendam gloriam Dei et salutem animarum, vel vicissim ad aucupandam suam vanam gloriam, ad obtinendum quaestum seu lucrum temporale, ad nocendum proximo, etc. VI. CONSTANS ET UNIVERSALIS DOCTORUM SIMUL ET PROBORUM INTEGRÆ GENTIS VEL PLURIUM GENTIUM SENSUS AC PERSUASIO, ALIQUID PRO VERO MIRACULO HABENTIUM; maxime si id fiat aut factum sit in ordine ad gentem vel gentes ad certi dogmatis fidem adducendas. Nullo enim modo verisimile est, quod Deus infinite bonus, potens, sapiens, amansque veritatem, permittat aut permittere possit in materia religionis tam turpem ac perniciosum errorem: quin fraus a doctis et probis etiam hominibus morali industria detegi possit. Si enumerata haec sex indicia in aliquo facto prodigioso concurrant (prout in prodigiis a Christo et apostolis patratris concurrunt), non amplius de veritate miraculi prudenter dubitare possumus.

49. COROLLARIUM. Ex dictis patet, famosum *Rousseau* crasse hallucinatum esse in sequentibus. I. Dum ait, de miraculis homines non nisi secundum sensus suos iudicare posse, ac proin, cum praestigiae diabolicae eodem modo sensus afficere possint, quo id faciunt vera miracula, nullum dari sufficiens discerniculum inter haec, et illusiones magicas. Nam CONTRA EST: Mi-

(1) *Emile* tom. 5, p. 155, 5 lettre, p. 87.

(2) L. 4 de *canoniz.* Ss. c. 4.

VEITH, Novum Test.

(3) In *Demonstr. Evang.* § 175, usque ad § 191.

(4) *U. Reg. c. 47, v. 21.*

racula seu vera, seu ficta faciunt quidem impressionem in sensus; at sola ratio verum miraculum a falso discernere valet, dum utriusque circumstantias examinat, et ad criteria paullo ante a nobis allegata attendit. II. Dum ibidem inquit, magus *Pharaonis* virgas suas eodem modo in serpentes convertisse, sicut *Aaron*, quia miraculum verum a praestigiis magicis discerni potuerit. Sed CONTRA EST: Quamvis magi *Pharaonis*, ut sacer textus (1) ait, *fecerint similiter*, id est, similia (more hebraico adverbium ponendo loco adiectivi) seu res similes, nempe serpentes; tamen adiuncta huius conversionis longe erant diversa. Virga enim *Moysis* conversa in serpentem devoravit virgas magorum in serpentes conversas, quia magi id impedire potuerint; quo prodigio Deus sat clare ostendit, se per *Moysen* et *Aaron*, non vero per magos aegyptiacos mira patrare, sed horum esse meras deceptiones. Hinc colliges III. quod imperite aut maligne *Rousseau* (2) asserat, ex diversis eventibus prodigiis inter *Moysen* et magos aegyptiacos variantibus, *Pharaonem* fors nil aliud concludere potuisse, quam *Moysen* esse artis magicæ magis peritum quam magos suos. Sed CONTRA EST: Rex *Pharao* non inferebat conclusionem quam *Rousseau* intulit, sed longe prudentius philosopho genevensi concludebat, ac iterato fatebatur, prodigia *Moysis* habere Deum auctorem. Unde statim post secundam plagam ad *Moysen* ac *Aaronem* dixit (3): *Orate Dominum, ut auferat ranas a me et populo meo:*

- (1) Exod. c. 7, v. 11.
 (2) In 5 lettre de la montagne.
 (3) Exod. c. 8, v. 8.
 (4) Ibid. v. 25 et 28.
 (5) Ibid. c. 9, v. 27 et 28.
 (6) Ibid. c. 10, v. 16 et 17.

et dimittam populum ut sacrificet Domino. Similia repetit post plagam quartam (4), septimam (5), octavam (6), nonam (7), ac merito. Nam *Moyses* tantum in nomine Dei locutus est, summaque confidentia Deum invocavit in patrandis prodigiis. Profecto magus non est vel veneficus qui in omnibus suis operationibus nomen Domini invocat. Praeterea ipsi magi aegyptiaci, postquam tria prima *Moysis* prodigia imitati sunt, quartum non amplius patrare poterant, sed cogebantur de miraculosa *Moysis* virtute fateri (8): *Digitus Dei est hic*, seu ut chaldaica versio habet: *Deus est plagæ istius causa.* Quid, quod non potuerint sanare ulcera sua, quibus ipsi cum ceteris aegyptiis affligebantur, *Moysen* immittente hanc plagam (9): *Nec poterant malefici stare coram Moysen propter ulcera quæ in illis erant et in omni terra Aegypti?* Et ab illo tempore receptui canebant magi aegyptiaci, neque amplius coram *Moysen* comparebant. Omnibus ergo consideratis, falsum est genevensis philosophi assertum, praestigias illorum magorum a veris miraculis *Moysis* discerni non potuisse. Discernuntur sane per invocationem divini Numinis, et per suam excellentiam iuxta modo dicta aliquid divinum spirantem.

50. QUÆRES VI. *An miracula vim probandi habeant in materia religionis?* R. affirmative. Ratio est, quia Deus est principalis causa omnis veri miraculi (10), et miraculum est ipsius vox, loquela, et testimonium ad homines, ut pariter iam supra (11) ostendimus. Cum

- (7) Exod. v. 24.
 (8) Ibid. c. 8, v. 19.
 (9) Ibid. c. 9, v. 11.
 (10) Vide supra q. 1 et 2, n. 55-57.
 (11) Sect. 2, n. 31.

igitur Deus infinite bonus, sapiens et verax non possit testari falsum, hoc ipso impossibile est ab eo falsitatem confirmari miraculo tanquam sigillo et testimonio suo: ac proin miraculum, quod in confirmationem religionis editur, infallibilem vim habet probandi veram esse hanc religionem. Plura hac de re disserunt *Hermannus Goldhagen* (1) et *Benedict. Stattler* (2), qui etiam opposita incredulorum argumenta solvunt.

CAPUT II.

De miraculis Christi universe spectatis.

Postquam contra incredulos de miraculis in genere disputavimus, iam *speciatim* de miraculis Christi contra eosdem agemus: et in hac quædam secundo articulo de iisdem universe spectatis sermo erit; in sequenti autem, seu tertio articulo de præcipuis quibusdam, quæ in evangelio narrantur, Christi Dominum miraculis singillatim sumptis disseremus.

51. QUÆRES VII. *An Christus miracula patrat?* R. Affirmative. Ac imprimis, quod stupenda illa prodigia, quæ ab evangelistis narrantur, fecerit, prudenter negari nequit, ut supra (3) iam demonstravimus, et a permultis aliis (4) demonstratur. Evangelistæ enim sua evangelia scripserunt paulo post mortem Christi, viventibus adhuc quamplurimis etiam adversariis, quibus perspectæ erant res a Christo gestæ, nunquam idcirco in ius vocati, aut mendacii vel fraudis alicuius convicti. Illi i-

psi quoque, qui a suscepto christianismo iterum defecerunt, et ad primaevam superstitionem, vel ad haereses doctrinae apostolicæ oppositas conversi sunt, imo ipsi gentiles philosophi, *Celsus*, *Porphyrus*, alique omnes seu pagani seu iudæi, etsi christianam religionem quavis arte et subtilitate lacescerent, nunquam tamen negare ausi sunt, Christum ea prodigia quæ ab evangelistis narrantur patrasse; sed unice in id incumbabant, ut hæc facta prodigiosa adscriberent arti magicæ, aut fraudibus vel viribus mere humanis. Inania autem esse hæc incredulorum tam veterum, quam recentiorum effugia, ex solutione sequentium quaestionum patebit.

52. QUÆRES VIII. *An Christus mira quæ in evangelio narrantur arte magica seu ope daemonis patrat?* prout præter iudæos (5), *Celsus* (6), *Iulianus apostata*, alique impietatis herodes blasphemant? R. Negative. Nam nec daemon, nec ullus magus potest facere miraculum *strictè* tale (7), ex. gr. resuscitare vere mortuos ad vitam, quod tamen Christus fecit. Praeterea miracula Christi (sicut et apostolorum) nullum fraudis aut malæ artis indicium, sed potius manifestos characteres veri et divini miraculi (8) præseferebant; unde etiam plurimi ad amplectendam christianam religionem per hæc signa et prodigia movebantur. Nam personæ, quæ hæc mira patrabant, erant sanctæ et vitæ prorsus inculpatæ, prout de Christo supra (9) ex instituto ostensum est doctrina morum et do-

- (1) *Introduct. in s. Scriptur. part. 3, n. 64, et seq.*
 (2) *In Demonstr. Evang. § 195-202.*
 (3) *Num. 20 et 21.*
 (4) *Urus ex præcipuis horum est el. Thomas Carboni, theol. revelat. tom. 2,*

- l. 5, q. 1, art. 2, § 1.*
 (5) *In Talmud art. Sanhed.*
 (6) *Vide Origenem l. 2 contra Celsum.*
 (7) *Vide supra n. 55.*
 (8) *Ibid. 48.*
 (9) *Num. 27.*